

Obr 30



Einladungsschrift zu der am 27. und 28. September 1833 anzustellenden Prüfung der Schüler

des
Königl. Friedrichs - Gymnasiums

zu Gumbinnen.

Inhalt:

1. De orationum Olynthiacarum Demosthenis ordine. Vom O. L. Petrenz.
 2. Schulnachrichten aus dem Jahre 1833
-

Gumbinnen, 1833.

Gedruckt in der Melcherschen Buchdruckerei.



AB 1718

De orationum Olynthiacarum Demosthenis ordine.

Commentationis particula prior.

Quantas in literis turbas unius hominis seu error seu incuria, etiam multis post saeculis, concitare possit, quum ex aliis rebus cognitum est, tum ex ea potest intelligi controversia, quam de Olynthiacarum Demosthenis orationum ordine, commotam illam Dionysii Halicarnassensis testimonio, viri docti tam acri utrimque contentione nuper agitavere, ut, quorum potissimum sequare partes, nisi rem ipse diligentius perquisiveris, vix certo possis judicio statuere. Nam quum multis saeculis vulgatam harum orationum collocationem nemo fere eruditorum in dubitationem vocasset, jam inde ab Andr. Schotto¹⁾ et multo magis superiore saeculo virorum doctorum quidam Dionysii sequendam auctoritatem censuerunt, atque hac aetate non solum Rauchensteinius separato libello²⁾ tuendum suscepit Dionysii testimonium, sed reliqui etiam viri docti sic in duas discessere partes, ut auctoritate satis gravi utraque videatur sententia commendari. Attamen quum et Rauchensteinii rationes, quibus suam firmare opinionem conatus est, tam mihi semper infirmae, ne quid gravius dicam, visae sint, ut, qui veri videndi incorrupto illas studio excussisset, vix posse eum putarem istas non improbare, nec, quae contra A. G. Becker, vir venerabilis et de lectione Demosthenis adjuvanda meritissimus, disputavit³⁾, rem to-

1) Vitae comparatae Aristotelis et Demosthen. Aug. Vind. 1603.

2) De orationum Olynth. ordine. Lips. 1821. Quam commentationem etiam G. H. Schaefer in Apparatu crit. et exeget. ad Demosthenem Tom. I. p. 135—173 exscribendam curavit, iteratisque ab ipso auctore curis emendatam J. H. Bremi in fronte edition. suaem Oratt. Demosth. select. Goth. 1829 exhibuit.

3) Des Demosthenes Philipp. Reden. Uebers. u. erläut. von Dr. A. G. Becker. Halle, 1824—26. Tom. I. p. 105—131.

tam mihi confidere viderentur, non alienum putabam ab hujus scriptionis fore consilio, si, quae ad meam de re controversa sententiam collegis meis in munere scholastico iisdemque amicis probandam⁴⁾ ante hos septem menses scripsisse, hoc loco typis exscribenda curarem. Quod quum in eo essem ut facerem, Westermann ad me Quaestiones Demosthenicae⁵⁾ perlatae sunt, quarum quum prior particula tota in hac versetur quaestione disceptanda atque in vulgato ordine tuendo, praerepta mihi, si non omnia, tamen permulta cognovi, quae in eandem scripsoram sententiam. Quam rem tantum abfuit ut moleste ferrem, ut, quod tam subacti judicii virum non solum in summa re, sed in ipsis quoque argumentandi rationibus consentire mecum intelligebam, magnopere laetarer. Nec propterea statim abjiciendum consilium meum, verum ita immutandum arbitrabar, ut, quam essem viam ingressus, continuo quidem disputationis ordine perstringerem, sed, quae essent a Westermanno copiosius atque sic ut plane mihi satisfacerent disputata, in iis meae disputationis tantum summam indicarem, reliqua vel immutata vel retractata et aucta prescriberem.

Duplex autem quum tota haec quaestio sit, partim in veterum et scriptorum et librorum testimoniis examinandis, partim in ipsis posita nostrarum orationum argumentis vel exquirendis vel ponderandis, idque rursus duplicitudo, ut aut ex universa orationum conformatio et quasi habitu petantur argumentorum momenta, aut ex locis quibusdam seorsim spectatis; denique, quum quaedam etiam, quae in contrariam dicta sunt ab adversariis partem, repellenda sint: hanc sequuta divisionis rationem nostra quoque quadripartita disputatio erit.

Caput I.

De testimonii Veterum et librorum miss. auctoritate.

1. Quorum igitur testium auctoritate, qui vulgatum ordinem impugnant, suam firmare sententiam conati sint, si querimus, unus exstat apud Dionysium

4) In coetu literario, ad quem per hibernos menses convenire certis diebus solebamus.

5) Quaestionum Demosthenicarum Particula prima. Scr. A. Westermann. Lips MDCCCXXX.

8. Particula secunda. Ibid. MDCCCXXXI.

Halicarn. locus, qui in Epistola ad Ammaeum I., ut eorum refelleret opinionem, qui ad Aristotelis artem rhetoricam Demosthenem orationes suas conformatasse dicerent, quim reliquas summi oratoris conciones temporis ordine peristravit, tum has Olynthiacas suo loco commemoravit (Tom. VI. pag. 726), his adjectis earum initiis, primae: Ἐπὶ πολλῶν μὲν ἰδεῖν ἦν τις, ὁ ἀνόρτης Ἀθηναῖος, δοκεῖ μοι secundae: Οὐχὶ ταῦτα παρίσταται μοι γεγνώσκειν? tertiae: Ἀντὶ πολλῶν ἦν, ὁ ἀνόρτης Ἀθηναῖος, χρημάτων. Quae igitur vulgo numeratur prima, eam Dionysius tertiam habet, quae secunda, primam, quae tertia, secundam, nec ulla sui ordinis ratione subjecta, nec ista, quae inter hunc et vulgatum discrepantia intercedit, indicata. Hoc igitur usi testimonio virorum doctorum quidam, non obscuri quidem illi, sed qui lumina in nostris literis merito celebrantur, in quibus honoris et observantiae gratia Fr. Jacobsium⁶), J. H. Bremium⁷), Im. Bekkerum nomino, quamquam hic quidem, quum in Philippicis Demosthenis orationibus (1816 et 1825) Dionysium esset sequentus, in Atticorum oratorum editione (1824) vulgatum ordinem revocavit — hi igitur et cum his alii deserrendant vulgatam collocationem et Dionysianam istam amplectendam duxerunt⁸). En vero, contra Dionysium conserta omnium, quotquot post eum vixerunt, Grammaticorum veterum manus, ab Hermogene inde Tarsensi (a. p. Ch. 160) ad Gregorium usque Corinthium (a. 1150), assurgit, quos vulgatam agnoscere collocationem ex iis eorum locis appetat, ubi harum orationum verba sententiasque laudant⁹); cumque his conjuncta Scholiastarum Demosthenis omnis cum ipso Ulpiano caterva; pugnat contra illum librorum manuscriptorum, quotquot adhuc collati sunt, auctoritas, qui vulgo receptum ordinem ad unum omnes exhibent¹⁰): profecto haud contemnendi testes contra unam unius scriptoris velut in transcursu proditam vocem.

6) Demosthenes Staatsreden. Lpzg. 1805.

7) Demosthenis Orationes selectae. Goth. 1829.

8) Qui ab utrisque sunt hoc in certamine partibus, A. G. Becker percensuit l. l. p. 109. not. 4. et A. Westermann l. l. p. 1—3.

9) Singulorum testimonia v. in Pinzgeri nota ap. Rauchenstein. p. 49—52., et ap. A. G. Beckerum p. 113 sqq.

10) Nam ne Augustanum II quidem in suam rem trahere, Dionysium qui sequuntur, possunt. V. Westermann pag. 74. not. 41.

2. Merito igitur dubitabimus, num tantum Dionysii testimonio tribuendum sit, ut omnium illo uno et reliquorum Grammaticorum et librorum mss. auctoritas elevetur. Duorum enim alterum factum sit necesse est, aut ut sciens consultoque Dionysius, quum ista scriberet fatalia verba, hanc collocationem tamquam veram adscisceret, aut ut invitus ab ordine recepto aberraret. Si invitus id fecerit, nihil ejus hac in re valebit auctoritas, sed unius errore dolendum erit tantas esse turbas concitatas. Sin de industria sic ut fecit orationes illas disposuit, aut receptus inter omnes illa aetate Dionysianus ordo fuit, aut non fuit; si non fuit, sed a vulgato summus Grammaticus consulto recessit, aut alienam sequutus auctoritatem, aut suo usus judicio illud fecit. Quorum neutrum accidisse credibile est. Nam si suis rationibus, quod perversum esse receptum ordinem intellexisset, deserendum illum censuisse Dionysium dicas, primum ab eo loco et tota illa quaestione alienum erat, hac in re aliquid novare. Neque enim, quum non, quo ordine haec tres orationes, sed quo omnes tempore habitae essent, quaereretur, quas constaret omnes in eundem annum incidere, quidquam ad propositam Dionysio quaestionem intererat, quae primo, quae secundo, quae tertio loco collocaretur. Nec fuisse illud Dionysio consilii, etiam hinc colligas, quod ne Philochori quidem de tribus Olynthiorum legationibus narrationem, quam, qui nuper Dionysiana collocationis patrocinium suscepérunt, defendere solent, in suam sententiam convertit, sed post longam demum de Aristotelis vita, de Topicis illius et Analyticis et Methodicis disputacionem (T. VI. p. 727—732), ut etiam Rhetorica ejusdem post Olynthium bellum atque duodecim jam habitas Demosthenis orationes scripta esse demonstraret, ipsius usus summi philosophi testimonio (Rhetor. lib. III c. 10.), quo Chareatis in bello Olynthio gestum imperium notatur, ad hujus belli tempus accuratius definiendum testem Philochorum protulit (T. VI. p. 734 sq.). Sed si vel maxime perseveres, Dionysium, seu capitali falsorum odio, seu ostentandae doctrinae cupiditate, ne intempestivam quidem vulgati erroris correctionem esse aspernatum: num illud cuiquam persuaderi poterit, supervacaneum Dionysio visum, verbo saltem eam dissensionem notare, aut ad quaestionem alio loco magis opportuno de ea re instituendam legentes remittere? Mihi quidem numquam, nec ulli, credo, qui Dionysii scripta legerit.

At alios sequutus est auctores. Audio. Sed quicunque illi fuerint, seu

Callimachus et Alexandrini Grammatici, seu Critici Pergameni, si a vulgata ratione descriptio illorum recessisset, ne hoc quidem Dionysius silentio debebat praetermittere, multoque illud minus indicare neglexisset, quum ne inscriptiones quidem illorum auctoritate quibusdam praepositas orationibus fastidierit commemorare (V. in ead. epist. Tom. VI. p. 725. et de admir. vi Demosth. p. 994.). Praeterea quo miraculo factum esse putamus, ut unius Dionysius illorum nescio quorum notationes pernosceret, reliqui omnes adeo eas ignorarent, ut per totam antiquitatem, praeter unam Scholiastae notam (ad Olynth. II init.), ex qua tamen ipsa ne certi quidem statui quidquam potest, nullum illius discrepantiae vestigium deprehendas? Atque multo illud magis debet mirum videri, quod in aliis antiquitatis studiorum partibus non tam illorum Criticorum curas evanuisse constat irritas, ut nullus ex iis fructus ad harum literarum institutionem redundaret et ad nostram usque propageretur aetatem.

Receptus ergo inter omnes illa aetate fuit, quem Dionysius nobis prodidit, Olynthiacarum orationum ordo, sive fama ille antiquitus tradita diuturnaque usu propagatus, seu eruditorum constitutus curis? neque praeter hunc Dionysius neverat alium? En novum miraculum, idque, si Dis placet, supra dicto paene portentosius! Nam qui vulgatus ordo Dionysii fuerit aetate, qua, quaeso, rei literariae conversione fieri potuit, illius ut in locum non solum alias tam cito succederet, ut altero post illum saeculo receptus hic inter eruditos ususque tritus esset, sed etiam Dionysianae descriptionis adeo omnis brevi tempore memoria extingueretur, ut, nisi ipsius libello fatum pepercisset, nullam omnino nunc unquam motae talis controversiae suspicionem haberemus? Tantamne dicemus erroris vim tamque pestiferam contagionem esse, ut nescio quo casu illatus raptim omnia veri possit vestigia absorbere? an propterea nullam novatae rei mentionem putabimus injectam esse, quod, quam leve istius esset, quamque putre fundamentum, omnes, qui post Dionysium floruerunt, Grammatici probe intellexissent?

3. Nam si haec omnia, in quibus modo diluendis versata nostra disputatio est, omni sunt veritatis commendatione destituta; si neque alienam sequuntur auctoritatem, neque, quod suo judicio vulgatis ipse veriora invenisset, Dionysius ista novavit, nec denique receptam inter eruditos illa aetate rationem posteritati prodidit: quid jam reliquum est, nisi ut invitum illum per errorem

lapsum esse, Dionysiique festinationem atque incuriam tantos, ut in proverbio est, in simpulo fluctus excitasse dicamus? At Dionysium errare! Summum Grammaticum, tanta doctrinae copia, tanta industria, tanto judicii acumine, cuius nisi scripta extarent, in summa multarum rerum ignoratione densissimis que tenebris versaremur, — hunc igitur temere quidquam et festinanter agere! Quamquam et humanum errare est, et quotusquisque virorum doctorum invenitur, cui non semel atque iterum imprudenti erroris infesta hora obrepserit! Quamobrem, etsi nihil de Dionysii laudibus detrahere velim, illo tamen loco vel ipsum vel librarium per errorem lapsum esse, obstinate perseverero. Idque minus etiam est quod mireris, quoniam non solum librariorum culpa corruptissima etiam nunc Dionysii scripta sunt, sed etiam, cuius ipsum arguere possis Dionysium, nec unus hic error est, nec eorum, quos admisit, gravissimus. Taceo, quam iniquo, ne dicam maligno, judicio Thucydidis rationem scribendi exagitaverit; quam non solum severa, sed etiam acerba censura Platonis venustatem perstrinxerit (De admir. vi Demosth. T. VI. p. 966 sqq. et in Epist. ad Pompej. T. VI. p. 758—64.); quam intempestiva et praepostera cupiditate Menexenum ejusdem, quem, ut multi post eum, non intellexit non seriae aptaeque exemplar orationis Platonem esse voluisse, sed ad inutilem et affectatam rhetorum artem composuisse deridendam, — hunc igitur maxime delegerit, ad quem, tamquam normam, suum de Platonico dicendi genere judicium et hujus cum Demosthenico comparationem dirigeret (De admir. vi Demosth. p. 1028 sqq.); — haec omnia, et quae horum sunt similia, taceo. Sed qui eos apud Dionysium locos, qui ex aliorum scriptis citantur, cum ipso scriptorum contextu comparaverint, tantam in iis reperient scripturae discrepantiam, quae nec per temporis malignitatem, nec per librariorum sive inscitiam sive oscitationem satis probabiliter aut declarari aut excusari possit. Quo in genere conf. Dionys. ad Amm. Epist. I. T. VI. p. 730 cum Aristot. Rhetor. lib. I. c. 2. Dionys. I. l. p. 739 cum Aristot. Rhet. II. c. 24. Dionys. I. l. p. 747 cum Arist. Rhet. II. 23. Dionys. I. l. p. 743 cum Demosth. or. de Cor. p. 299, 1—11. Praeterea in ipsa illa ad Ammaeum epistola quum alia sunt festinantiis scripta, jam satis ab aliis hanc in sententiam notata¹¹), tum illud, quod quamvis et

11) V. A. G. Becker I. l. p. 108 not. 3. Westermann. p. 75 sqq.

ipsum jam alii viri docti Dionysio exprobrarunt, tamen, ut evidentiorem illius errorem cernas, hoc loco non praetereo. Nam in enumerandis ex temporis ordine Demosthenis orationibus, postquam quatuor Philippicas ad Callimachum usque praetorem habitas (Philipp. I. et Olynth. tres) memoravit, deinceps, nulla interposita *quinta*, *sextam* infert nescio quam (T. VI. p. 736), et post hanc indicata oratione quae de pace inscribitur, nulla tamen aut numeri nota aut Philippicae appellationis mentione subjecta, *septimam* subjungit eam (Philipp. II.), quae, si de pace oratio, ut par est, inter Philippicas referatur, aut *octava*, aut, expulsa ista quam *sextam* perperam interposuit, *sexta* numeranda erat: quo numero alii Grammatici, ut Harpocratio s. v. δεκαδροχία et Etymol. magn. s. ead. v. illam aptius significant. Sed praeter istam justi ordinis turbationem, quam *sextam* Dionysius Philippicam perhibet, ab his exorsam verbis: "Α μὲν ἡμεῖς, ὡς ἀνδρες Ἀθηναῖοι, δεδυνάμεθα εὐγεῖν, ταῦτα ἔστιν, ea non modo non *sexta*, sed nulla omnino Demosthenis oratio separata est. Etsi enim, quum ab illis verbis altera primae Philippicae pars initium capiat (p. 48, 16.), eruditorum quidam tantum Dionysii auctoritati tribuerunt, ut illam illius orationis partem a priore revellendam et pro separata atque integra oratione habendam censerent, quam sententiam cum Lelando etiam Fr. Jacobsius¹²⁾ et C. A. Kruegerus, quamquam is dubitans¹³⁾, amplexi sunt; tamen, quam ista opinio a rei veritate et illius orationis natura abhorreat, quum aliis rationibus firmissimis viri docti demonstrarunt¹⁴⁾, tum hoc insuperabili arguento, quod, quam Dionysius illius orationis summam affert, περὶ τῆς Φυλακῆς τῶν νησιωτῶν καὶ τῶν ἐπὶ Ἑλλησπόντῳ πόλεων, ejus in ipsa oratione vix ullum appetit vestigium. Verum in his ego non subsisto, sed ab iis, quae Dionysius habet, verbis neque Demosthenis ullam, neque cuiusquam omnium, qui Graeco unquam sermone verba fecerunt, potuisse orationem initium capere, confidenter adsevero. Praeterquam enim quod mirum quam praeceps et abruptum istiusmodi exordium esset, ne Graeca quidem in ipso orationis principio illa esse contendeo. Nam ut

12) Demosth. Staatsreden p. 100 sqq.

13) Demosth. Oratt. select. Edit. I. p. 14 sqq. cf. De canone Philipp. Demosth. p. 11.

14) Praeter alios A. G. Becker: Demosthenes als Staatsmann und Redner. Lpzg. 1815

p. 268. Bremi Philolog. Beitr. I. p. 27.

leguntur verba et apud Dionysium et apud ipsum Demosthenem, non ad ea, quae sequuntur, spectare possunt, sed ad prius dicta sunt referenda, quoniam pronomen ὅντος ea, quae cuique proxima sunt eademque jam cognita, indicat, non futura et quae subjunctis demum verbis sententiisque declarentur. Quem sermonis usum, etsi nemo facile Graece doctus ignorat, ut uno tamen e multis altero comprebem exemplo, Demosthenes eodem fere modo in Olynth. I. p. 14, 16. καὶ περὶ μὲν τῆς βασιλείας, inquit, ταῦτα γνωσκω, et Olynth. II. p. 20, 12. καὶ τοῦ μὲν δὴ, ἦ ἀνδρες Ἀθηναῖοι, πρὸς τοῦτο πάρεστι Φιλίππω τὰ σχάγματα quibus in verbis ταῦτα et τοῦτο pari modo atque in supra memorato loco ad prius dicta respiciunt. Contra, si, quae afferuntur, prospectant ea, quae postea demum subjiciuntur, aut pronomine ὅδε, aut aliis aequi validis demonstrandi formulis Graeci utuntur. Quae quum ita sint, quemadmodum in media et continuata oratione aptissime verba illa potuerunt dici, sic in principio non potuisse, sed Dionysium, quum ea pro Demosthenicae ponearet orationis initio, verba posteris fecisse, manifestum est.

Ex his, quae dicta sunt, quum intelligatur, non solum aliis locis Dionysium errore festinationeque lapsum, sed tam etiam falsa deceptum esse opinione, ut pro Demosthenica venditaret oratione, quae neque Demosthenis, nec ullius omnino Graece loquentis oratio fuit: quis est qui dubitet, tanta ei gravissimum auctoritate testium opposita, quin nostrarum quoque orationum initia prava confuderit permutatione: qua in re labi non modo primum erat, sed excusari etiam quodammodo, si modo ulla habet in literis festinatio vel diligentia excusationem, propter initiorum illorum similitudinem potest; id quod etiam Westermannus observavit p. 79—80.

C a p u t II.

De orationum universa natura et conformatione.

1. Ad hanc disputationis nostrae partem priusquam accedimus, paucis illud videtur exquirendum, num qui ex historicis fontibus ad hanc disceptandam controversiam fructus percipi possint. Ac plurimi quidem historiarum scriptores, qui de his rebus exposuerunt, partim deperditi, partim tam breves sunt, ut et belli Olynthii et rerum illo tempore Athenis actarum admodum tenuis

tenuis ad nos et exigua notitia penetraverit. Sed Philochori, vatis et annalium scriptoris, qui Ol. CXVIII. Athenis floruit, locum ex Ἀργίδος libro sexto transcriptum ap. Dionys. Hal. in Epist. ad Amm. I. T. VI p. 734 sq. ad hanc quaestzionem conferendum viri docti censuerunt. Hoc loco quoniam Philochorus tradidit, Callimacho praetore (Ol. CVII. 4 a. Ch. 349.) quum Olynthii bello a Philippo petiti legatos misissent Athenas, populum Atheniensem, foedere facto, bis mille leveis armaturae milites triremesque triginta Charete duce misisse illis auxilio; tum interjecto tempore quum *Chalcidenses* Thracii, vehementer bello pressi, Atheniensium opem per legationem implorassent, Charidemum ex Chersoneso proficiisci illuc cum duodevinti triremibus, cetratorum IV millibus equitibusque CL jussum una cum Olynthiis Pallenensem et Bottiaeum agrum devastasse; denique iterum ($\pi\alpha\lambda\mu$) Olynthiis legatione precatis, ne afflictam bello urbem desererent, sed novas mitterent copias, non mercenarias illas, sed ex ipsis civibus conscriptas, tum vero cum Charete duce triremes septendecim, scutatorum ex ipsis civibus duo millia, denique equites in vectoriis navibus trecentos missos; — haec igitur quoniam Philochorus tradidit, viri docti quidam haud dubitarunt, ad tres illas legationes tres Demosthenis orationes Olynthiacas referre atque Philochori testimonio tamquam fundamento hujus uti quaestionis. Sed primum, quod recte A. G. Beckerus monuit (Philipp. Red. p. 96), ipsius Demosthenis obstat auctoritas, qui in oratione de fals. legat. p. 425 sq. ut exemplo doceret populum, etiam validissimas opes proditione pessum dari, Olynthios meminit, quamvis et ipsi maximis valerent copiis, et Athenienses iis exercitu *decies* mille mercenariorum et *quater* mille civium, triremibus denique quinquaginta subvenisset, tamen proditorum deceptos fraude Philippi artibus succubuisse. Quam inter Demosthenem Philochorumque discrepantiam Rauchensteinus ita conciliare conatus est (p. 20 sqq. prim. edit.), quod miror Westermannum ei adsentiri (p. 12.), ut Demosthenem diceret, quas Philochorus separatim numeravit copias, in unum collectas et per licentiam oratoriam aliquanto auctas protulisse. Sed quaenam ista licentia fuit, per quam tantum oratori largiretur, ut pro sex millibus decem, pro duobus quatuor, vel, omnibus in unum collectis, pro octo millibus quatuordecim, hoc est, pro simplo paene duplum ementiretur? Ac per eandem licentiam, qua terrestres copias tantopere exaggeraret, scilicet ut tanto validiores Olynthiorum fuisse opes viderentur, adeo navium censuit ex-

tenuandum numerum, ut pro quinque et sexaginta triremibus, detractis quindecim, quinquaginta tantum numeraret? Id, nisi qui mendacissimos omnium hominum oratores Atticos, in primis gravissimum illorum Demosthenem, cum B. G. Weiskio¹⁵⁾ fuisse indicaverit, nemini facile persuadebitur.

Sed utut est: si vel verissima sunt, quae Philochorus scripsit, — nam hujus fidem tot veterum honestissimis firmatam testimoniis temerarium fore in suspicionem vocare, — quis inde fructus ad nostram redundare quaestionem possit, non intelligo. Nec enim ipse Dionysius, ut supra (p. 4.) dictum est, hac mente Philochori narrationem attulit; nec de Olynthiorum *tribus* legationibus Philochorus, sed de horum *duabus*, una vero Chalcidicarum urbium memoriae prodidit: quae res inde cognoscitur, quod priore Olynthiorum legatione distinctis memorata verbis — Ὁλυνθίοις πολεμουμένοις ὑπὸ Φιλίппου καὶ πρέσβεως Ἀθῆναῖς πέμψατο — in hunc modum narrationem persequitur: Περὶ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον Χαλκιδέων τῶν ἐπὶ Θράκης Θλιβομένων τῷ πολέμῳ καὶ πρεσβευταρένων Ἀθῆναῖς* ex quibus verbis intelligitur, non Olynthiorum separatam, sed reliquarum in Chalcidice urbium, tunc maxime bello a Philippo pressarum, eam legationem fuisse, praesertim quum tertiae mentionem legationis his idem scriptor inferat verbis: πάλιν δὲ τῶν Ὁλυνθίων πρέσβεως ἀποστειλάντων εἰς τὰς Ἀθήνας — nec in ipsa illa Philochori narratione, praeter numerum legationum missorumque subsidiorum ternarium, quidquam est, unde ad singulas legationes singulas etiam Demosthenis conciones pertinuisse appearat; nec denique in ipsis Demosthenis orationibus aut ullam legationum illarum mentionem aut alind quidquam, quod planius ex illis perspiciat, reperias. Nam, quam Rauchensteinus ex illa narratione lucem afferri huic quaestioni putat, eam, ut dicam quod sentio, suo sibi commento finxit. Quoniam enim Philochorus l. l. tertia legatione tradidit id maxime Olynthios ab Atheniensibus efflagitasse, ut ne mercenarias copias, sed civiles mitterent, Rauchensteinus (p. 22 sq. ap. Brem. p. xx sq.) idem Demostheni ratus in tertia potissimum oratione urgendum fuisse, ex *tribus*, quos attulit, locis — Pag. 9, 12. ὅτι τῶν πρηγμάτων ὑμῖν ἔκείνων αὐτοῖς ἀντιληφτέον ἐστι, et paullo infra: ὅπως ἐνθέντε βοηθόητε. Pag. 10, 26. καὶ αὐτοὺς ἐξόντας καὶ μηδεγχθεῖσίποντας. Pag. 16, 7. καὶ στρατευμένους αὐτοὺς — hoc extorquere conatus est, ut in ea ora-

15) De Hyperbole errorum in historia Philippi A. f. commissorum genitrice. Misn. 1819.

tione, quae vulgo prima, ipsi autem est tertia, illud maxime consilii fuisse Demostheni diceret. Sed primum eorum, quos adhibuit, locorum duo non in eam sententiam sunt intelligendi. Nam p. 9. nihil aliud Demosthenes contendit, quam ut cives, non inertи de bello contra Philippum coorto laetitiae locum nunc esse, sibi persuaderent, sed ipsis quoque rem agendam bellumque suscipiendum: quod fieri mercenariorum etiam exercitu militum potuit; atque eandem alterius esse loci sententiam (p. 16.), ex verbis et praemissis (*καὶ προσθενομένους ἐφ' ἀδεῖ*) et deinceps subjectis (*καὶ προσθέντας τοὺς ἀλλούς*) appareat. Restat igitur unus locus (p. 10.), cui adjungere alterum (p. 17, 7—13.) Rauchensteinio licuit. Contra vero haec non solum ipse ex Olynth. II (Ipsi I) tres protulit locos in eandem scriptos sententiam (p. 21, 25. 25, 27, 27, 28.), sed eodem sunt pari jure referendi alii et ex eadem oratione (p. 21, 18. 24, 21 sqq. 25, 6. 26 extr.), et ex Olynth. III (p. 37, 19. 38 init. ibid. v. 8 et 17.). Unde quum intelligatur, nec in una illa, sed in tribus omnibus, nec in illa maxime, sed multo gravioribus verbis iterataque saepius monitione in secunda (Dionys. I.) Demosthenem ad illud compellere cives consilium capiendum: quaenam est ista argumentatio, per quam Rauchensteinius insignem Demosthenem inter Philochorumque consensum extorsisse sibi visus est. Sed etiamsi tam vera essent, quam non sunt, quae hac de re Rauchensteinius disputavit, tamen nihil huic argumento tribuendum esset, quia constans haec Demosthenis per omnes orationes Philippicas querela pertinaxque admonitio est, ut ne mercenariis militibus cives reipublicae salutem committant, sed ipsi in bellum exeant, et maxime quidem in Philipp. I, quae, quatuor ante bellum Olynthium annis Aristodenio praetore (Ol. CVII. 1. a. Ch. 352) habita, paene tota in hac re versatur civibus inculcanda. V. Philipp. I. p. 42, 3 sq. 44, 16 sq. 45, 11 et 25. 46, 2. et maxime p. 46, 17—pag. 47, 23, 53, 20. Quae quum ita sint, omni de harum orationum ordine cum Philochori narratione conciliando quaestione, tamquam inutili, praetermissa, jam ad ipsarum orationum argumenta diligenter consideranda adgradimur.

2. Haec igitur si ex ea, qua continentur, rerum sententiarumque perpetuitate generatim spectantur atque inter se comparantur, primum illud facile cognoscitur, nullam harum orationum praeter eam, quae primo loco vulgo collocatur, sic in re proposita versari, ut fieri par est, si quae causa primum in deliberationem adducitur. Nam si unquam, tum maxime oportet sic illam ex

omnibus considerari partibus, ut nihil incognitum, nihil dubium, nihil incertum relinquatur. Causa ipsa qualis sit explicabitur; quid ad civium illa rationes pertineat; quid ad rei publicae conditionem momenti habitura sit; num dignum sit civitate, quod suadetur, num utile vel ad illius incolumentem etiam necessarium. Praeterea, si faciendum esse pervicerit orator, qua sit illud ratione perficiendum, quibus utendum subsidiis, unde sumtus erogandi, docebit; denique, quaecunque ad animos audientium flectendos et in suam trahendos sententiam oratori momenta suppeditabunt, iis admotis omnibus expugnare voluntatem illorum conabitur. Atqui haec omnia, quantum fieri brevi oratione potuit, in prima sunt a Demosthene diligenter disceptata, in duabus reliquis tantum non omnia praetermissa. Namque clamare tempora, ait, ut ipsi manum Athenienses his rebus admoveant; decernenda igitur auxilia et quam celerrime paranda, legationemque mittendam, quae Olynthios illud edoceat, ne fraude Philippi artibusque decepti festinantiis quidquam ei concedant (p. 9.). Quam societatem ut vehementius civibus commendaret, partim, quam exoptata haec belli opportunitas omnibus evenisset, partim, quam suspectum Olynthii Philippum et quam invisum haberent, quam contra fidei constantesque erga populum Atheniensem essent socii futuri, ex illorum conditione hujusque natura societatis collegit (p. 10, 7 — p. 11, 7.). Quantum vero respublica, si hoc aspernata foedus fuisset, detrimentum esset capture, ut civibus persuaderet, primum multa ex praeterita memoria petita documenta infaustumque pristinæ socordiae eventum, repudiato Amphyopolitanorum foedere atque Pydna, Potidaea, Methone, Paganis proditis, tum eorum discrimina periculorum, quae captis Olyntiis ipsi Atheniensium civitati imminerent, denique assiduum regis rerum agendarum ardorem et insatiabilem potentiae gloriaeque cupiditatem tam gravi persequutus est oratione, ut fieri vix posset, quin omnibus ipsorum jam incolumentem agi persuaderet (p. 11, 7 — p. 13, 26.). Atque sic praeparatis et in suam tractis sententiam animis, belli demum gerendi exposuit rationem: duobus exercitibus hostem aggrediendum, uno qui Olynthiorum urbes defenderet, altero qui regis terram ipsam popularetur. Sumtus autem belli facile posse ex iis pecuniis parari, quas nunc in spectacula diffunderent: quas si nolint pristinis usibus reddere, tributis conferendam pecuniam esse (p. 14, 5 — p. 15, 6). Denique ut vehementius corroboraret civium animos et ad valida consilia compelleret, altera

ex parte regis iniquam conditionem dubiamque subjectorum populorum fidem omniumque odia, ex altera denuo et copiosius ipsorum Atheniensium terrae imminentem calaritatem exposuit, gravique admonitione, ut suis quisque fungetur officiis, cives adhortatus est (p. 15, 6 sqq.). Totam igitur appareat orationem sic in ipsa, quae agebatur, causa consideranda et illustranda versari, ut neque longius a proposita quaestione evagetur, neque eorum, quae in tali re essent dicenda, quidquam, quod magni esset momenti, praetermisserit, hoc est, talem esse, qualem oportuit in causa tum primum in deliberationem vocata. Longe diversa earum est, quae secunda et tertia numerantur, orationum natura. Nam secunda, quam primam Dionysius esse vult, paene tota in Macedonicae dominationis infirmitate declaranda et in regis ipsius perjuriis moribusque sordidis exagitandis versatur (p. 19, 9 — p. 21, 9 et p. 22, 2 — p. 24, 20): cui expositioni passim socordiae Atheniensium objurgationes ac strenuae in rebus agendis industriae firmaeque voluntatis admonitiones interpositae sunt (p. 21, 9 — 26, 24, 20 sqq.). Sed nihil in hac de praecipuis gravissimisque causis, quibus maxime populum ad suscipiendum foedus impelli par erat; nihil de copiarum educendarum amplitudine, nihil de erogandarum impensarum viis, nihil de belli gerendi ratione, denique nihil de iis rebus, quae tum maxime erant considerandae et expendendae, quasque in prima Demosthenes explicavit et illustravit. Quid? quod ipsorum Olynthiorum hac quidem in causa tantum uno loco (p. 21, 19.) facta mentio est, — nam quae duobus aliis locis (p. 19, 24 et 28.) eorum est commemoratio, ea quidem ad hanc non pertinet quaestionem, — ut uno illo sublato versiculo vix ex ipsa oratione, qua in causa esset habita, certis evinci rationibus posset. Quemadmodum igitur, re, quae agebatur, prioribus jam concionibus populique decretis explanata et transacta, ad concitandos exacerbandosque civium animos aptissima haec est oratio, sic, si prima esset, non possemus eam non dicere parum idoneam consilioque oratoris nequaquam convenientem fuisse. Tertia denique propter easdem causas, quae supra sunt expositae, nec potuit prima esse, id quod ex ejus argumentis, si opus esset, facili negotio posset demonstrari et ex iis, quae mox dicenda sunt, apparebit, nec est ab ullo unquam eruditorum primo loco collocata.

3. Huic affine cognatumque illud est alterum, quod ex argumentorum comparatione perspicitur, plane diversum cuique orationi consilium finemque

propositum fuisse. Nam prima manifestum est id consequi oratorem voluisse, ut voluntatem civium expugnaret atque conjectis in unum omnibus argumentorum quasi stimulis compelleret eo, ut decernerent oblatum foedus accipere bellumque quam celerime parare; secunda vero, ut metu ex civium animis eximendo stimulandaque eorum ira ad maturandam accelerandamque expeditiōnem populum pernoveret: quo pertinet gravis illa et copiosa Macedonici regni morumque regis descriptio, quae nisi hoc esset consilio explicata, molesta sane ac frigida fuisset; tertia denique, quum decretis auxiliis nihil, quod satisfaceret exspectationi, actum esset, maioresque parandas copias esse rerum discrimina clamarent, ut, quibus id consiliis consequi, sumitusque tanti belli unde parare possent, civibus ostenderet. Totam enim hanc orationē id contendere et elaborare, ut scenica stipendia cives ad militares conferre usus constituerent, manifestum est. Hoc enim consilio statim ab initio (p. 29, 5 sqq.), quam in praesenti rerum conditione res anceps sit et periculosa, non, quid faciendum sit civibus, invenire, sed quomodo suaderi rogarique illud impune possit, significatum est; hoc consilio, ut, non in iis, quae decreta et facta essent, acquiescendum, sed extrema jam experienda esse comprobaret, documentum ex pristina afferit memoria, quum decrevisset quidem populus validas in Thraciam mittere copias, sed denuo demersus inertia tam tenui rem manu gesisset, ut nulli inde fructus consequerentur (p. 29, 18 sqq.) — quemadmodum in prima oratione *rejecti foederis et neglectae belli opportunitatis* exempla populo exprobaverat (p. 11, 7 — 26.) — hoc consilio non solum ipse de illa maxime re sibi verba facienda denuntiat atque eam tamquam summam orationis suę persecuitur (p. 31, 6 sqq.), sed identidem ad eandem rem et ad illam admonitionem, ut dulcibus jam utilia p̄aeferant, recurrit (p. 33, 13. 34, 5, 11, 21. 36, 25. 37, 18 38, 1 et 13.); denique eodem magnifica illa pristinæ virtutis et majorum dignitatis cum sui temporis lascivia et dedecore comparatio pertinet (p. 34, 16 — 37, 13.).

Haec autem recte a nobis esse disputata, quum ex universa orationum conformatiōne, quicunque incorrupto illas judicio perpenderit, sibi persuadebit, tum ex iis locis intelligitur, quibus ferendi auxiliū necessitatē et rationē orator explicavit. Horum enim locorum, quorum collationem, etsi pro nostrae partitionis ordine infra demum instituenda erat, tamen propter argumenti similitudinem.

litudinem huic continuo disputationi subjungere placuit, ea rursus natura est, ut in prima ad decernendam, in secunda ab maturandam, in tertia denique ad persequendam summa virium contentione expeditionem pertineant.

In prima igitur temporum rationem postulare ait, ut manum illis rebus cives admovereant, p. 9: ὅτι τῶν πραγμάτων ὑμῖν ἐπείγων αὐτοῖς ἀντιληπτέον ἔστι — ut decernant opem ferre et quam celerime bellum parare, ibid. Φηφίσασθαι μὲν ἡδη τὴν βοῆθειαν καὶ παραπομάσασθαι τὴν ταχίστην, — ut legationem ad Olynthios mittant, ne quid illi festinantius Philippo concedant. Quae legatio quidnam sibi vellet, si jam antea susceptum bellum et missa auxilia essent? Nam Rauchensteinii hac de re disputatio (p. 10.) tam cupida et infirma est, ut nemini facile sit assensum assequutura. — Tum voluntatem populi orator stimulat, p. 10. Φημὶ δεῖν ἐθελῆσαι καὶ παρεξυνθῆναι, — neve oblatam praetermittant opportunitatem hortatur, p. 11. οὐδὲ δὴ τοῦτον, ὃ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, παραπεπτωτὰ καιρὸν ἀφένται, οὐδὲ δὴ παθεῖν ταῦτον, ὅπερ ἡδη πολλάκις πρότερον πεπόνθατε. Cf. ibid. νῦν δὲ καιρὸς ἥκει τις οὗτος ὁ τῶν Ὀλυνθίων αὐτόματος τῇ πόλει. — Dubitationem deinde civium de suscipiendo bello vituperat p. 13. εἰ δόμεν, ὡς δεῖ τι μεῖζον τῶν ἵπαρχόντων δεῖ πράττειν, ἐγνωκὼς ἔσται, ὑμεῖς δὲ, ὡς οὐδενὸς ἀντιληπτέον ἐγένετο τῶν πραγμάτων, σκοπεῖτε εἰς τὶ ποτ' ἐλπίς ταῦτα τελευτῆσαι. — Duplici igitur exercitu jubet bellum fieri p. 14: qua de re quae dicenda sunt v. ap. Westermann p. 50 — 54. Cf. A. G. Becker 1. 1. p. 123 et p. 128. Denique iterata monitione instat, ut paratis animis rem aggrediantur, p. 16. Ἐτοίμας συνάργασθαι τὰ πρόγυμνα, atque in regis vicinitatem bellum transferant p. 17.

Contra haec in secunda oratione nullo loco de decernendo bello verba fecit, sed, ubicunque de his rebus illata mentio est, vel maturanda rei et strenue agendae monitionem, vel de cunctatione et desidia populi querimonias verba adjunetas habent. Pag. 21. Φημὶ δὴ δεῖν ἄμα τοῖς μὲν Ὀλυνθίοις βοῆται, καὶ ὅπως τις λέγει καύλλιστα καὶ τάχιστα, οὖτως μέρεσσι μοι. — Ibid. Πολλὴν δὴ τὴν μετάστασιν καὶ μεγάλην δειπτέον τὴν μεταβολὴν, εἰσφέροντας, ἐξιόντας, ἀπαντα ποιοῦντας ἐτοίμασσον. Καὶ ταῦτα ἐθελήσητε, ὡς προσήκει καὶ δεῖ, περαινεῖν cet. Cf. ibid. v. 15 — 23. — Pag. 24. Ἄλλα, οἶμαι, καθήμεντα οὐδὲν ποιοῦντες. Ibid. Ἡμῶν μελλόντων καὶ Φηφίσομένων καὶ πανθανομένων. — Pag. 26. Νῦν δὲ πνεῦτε ἐξιέντας καὶ μέλλετε εἰσφέρειν. — Ibid. Τὰ δὲ μέτερα αὐτῶν ἀπολαλεκότες καί θησα. — Ibid. Φημὶ δὴ δεῖν εἰσφέρειν χρήματα, αὐτοὺς ἐξιέντας προθύμους sqq. — Pag. 27. Λίγῳ δὴ κεφα-

λαον, πάγιας εἰσφέρειν sqq. — His locis omnibus manifestum est multum orationem ab ea discrepare, quam in prima notavimus; nec est sane quod Libanum dubitemus verum vidisse, qui in hujus orationis summario, admissam quidem primam Olynthiorum legationem decretaque a populo auxilia fuisse, tradidit, sed cunctantibus formidine civibus Demosthenem indicata Macedonicarum rerum infirmitate voluisse animos addere stimulosque admovere.

